



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 56. Germani Cardinalibus accedere sollicitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

vertere posset. Tandem Natio Germana omnes impendit vires, ut in tam salutari proposito Cardinalium assensum sibi conciliaret.

Sæcul. XV.
A. C. 1417.

§. LVI.

Germani Cardinalibus accedere sollicitati.

Verum libellus iste, quamvis justitiæ ac prudentiæ legibus inniteretur, nihilominus Cardinales in sua sententia vehementius obfirmabat, adeo, ut & Germanos, sicut antea Anglos, ad sua studia pertraherent; Joannem quoque de Wallenrod Rigensem Archiepiscopum, necnon Joannem Abundi Episcopum Curiensem sibi propitios reddere satagebant, quod ambos magna apud Cæsarem gratia valere, probe nossent, cumque horum primus ad suum Archiepiscopatum tuto redire non posset absque gravi persecutionis periculo, quod sibi ab Equitibus Ordinis Teutonici, cui ejus Ecclesia subiecta erat, adhucdum infensis imminabat, ideo Cardinales eidem Leodiensium Episcopatum promittunt, ea tamen lege, ut in Electionem Papæ reformationis negotio præmittendam consentiret. Annuit Archiepiscopus Cardinalium votis. Episcopo autem Curiensi, utpote qui Fridericum Austriæ Ducem sibi infensissi-

Sæcul. XV. fentiffimum habuit, Archiepiscopatum
A C 1417. Rigensem, quamprimum Papa electus es-
 set, stipulati sunt, hinc nec iste ultra eis
 restitit.

§. LVII.

*Natio Germana, & Imperator Car-
 dinalibus cedunt.*

*Vander
 Hardt to. 4.
 p. 1427.*

Devictis hisce Præsulibus, ceteri quo-
 que ex Natione Germana cesserunt,
 & Imperator ab omnibus se derelictum
 comperiens, ipfius denique in electionem
 Papæ consensit, hac tamen lege, ut Pon-
 tifex immediate post electionem, imo e-
 tiam ante coronationem suam reforma-
 tionis aggredereetur negotium, idque jun-
 cto Synodi consilio perficeret, nec Con-
 stantia discederet, donec totum opus ab-
 solutum esset, prout Cardinales Archie-
 piscopo Rigensi, & Curiensi Episcopo
 promississent. Hac tandem via compo-
 sita est hæc diuturna adeo & vix non
 dissolutionem Synodi spectans dissensio.
 Die vigesima tertia Septembris nominati
 sunt duo Cardinales, quinque Episcopi,
 unus Abbas, & alius Auditor Rotæ, qui
 jurgia inter Legatos Castellæ, Arragoniæ
 & Lusitaniæ circa præsidendi jus exor-
 ta terminarent: ast horum decisionem i-
 gnoramus.

§. LVIII.